



Dein legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* loqui postularaverant.

Postea P. D. Carolus Iustinus Calewaert, ep. Gandavensis, sodalis commissionis de sacra Liturgia, emendationes ad cap. 1, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia* illustravit.

Relatione expleta, ex ordine ad loquendum circa schema *de Ecclesia* a praeside vocati sunt: cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioannes B. Montini, arch. Mediolanensis; B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Antonius Plaza, arch. Platensis.

Disceptatio breviter a praeside interrupta est et secretarius generalis ex ambone, nomine card. Decani, rogavit Patres cardinales ut vellent se dispensatos habere a responsione danda circa omina natalitia.

Deinde ex ordine locuti sunt Vilelmus Pluta, ep. tit. Leptimagnensis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.

Secretarius generalis nuntiavit congregationem finitum iri aliquot momenta ante meridiem, ut Patres in plateam S. Petri se conferrent ad Summi Pontificis benedictionem accipiendam.

Ultimus locutus est P. D. Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis. Eius sermone expleto, secretarius generalis communicavit exitum suffragationum circa emendationes ad cap. I, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia*. Quatuor emendationes approbatae sunt.

Durante congregatione Patribus duo fasciculi, typis impressi, distributi sunt, quorum primus emendationes ad cap. I, nn. 32-36, schematis *de sacra Liturgia* et circa eas relationem continet; alter vero inscribitur: *Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur*.

Hora 11,45 S. Evangelii codex repositus est et praeses precem *Agimus...* recitavit. Intimata proxima congregatione die 6 decembris habenda, Patres e Basilica Petriana egressi sunt in plateam, quae a S. Petro nuncupatur, ad benedictionem Summi Pontificis recipiendam.

### XXXV

Congregatio generalis tricesima quinta habita est die 6 decembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2086 Patres, nempe 60 cardinales, 5 patriarchae, 9 primates, 368 archiepiscopi, 1536 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu romano a P. D. Bernardino Gantin, arch. Cotonuensi. Chorus alumnorum Benedictinorum Collegii



S. Anselmi in Urbe, una cum sacro coetu, qui initio Missae invitatus fuerat ut sese scholae cantorum uniret, exsecutus est cantus gregorianos: *Spiritus Domini, Ubi caritas, Sanctus et Agnus Dei* (IX), *Ego sum vitis vera* (6 tonus), *Alma Redemptoris Mater*.

Post Missam P. D. Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus, adm. ap. Tyrnaviensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Credo*.

Facta intimatione: *Exeant omnes*, card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit.

Dein secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, breviter retulit de eis, quae in Dei laudem et Ecclesiae decus in triginta quattuor congregationibus generalibus facta fuerant.

Dein legit exitum ceterarum quattuor suffragationum, quae die praecedenti peractae erant circa emendationes 5-8 ad cap. I, nn. 16-31, schematis *de sacra Liturgia*. Quattuor emendationes approbatae sunt.

Quoad ultimam suffragationem, in qua plures schedae fuerant sine suffragatione datae, statutum est eam non esse repetendam, cum maiortas requisita longe superata esset.

Tunc annuntiavit suffragationes peragendas circa tres ultimas emendationes (9-11) ad cap. I, nn. 16-31, et circa duas emendationes ad nn. 32-36 eiusdem cap. I schematis *de sacra Liturgia*.

Tandem legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* in genere loqui postulaverant, et communicavit Summum Pontificem omnibus Patribus concedere facultatem impertiendi Apostolicam Benedictionem, cum in proprias dioeceses rediissent, servatis de iure servandis, et celebrandi Missam quacumque hora diei vel noctis in die profectus ex Urbe et in die adventus in propriam domum.

De licentia praesidis P. D. Franciscus Grimshaw, arch. Birminghamiensis, sodalis commissionis de sacra Liturgia, relationem legit circa duas emendationes ad cap. I, nn. 32-36, schematis *de sacra Liturgia*.

Continuata est deinde disceptatio circa schema *de Ecclesia* in genere.

Card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, primus locutus est. Continuo secretarius generalis ex ambone declaravit facultatem celebrandi Missam quacumque hora extendi ad omnes dies profectus et ad omnes personas, quae episcopum comitarentur.

Tandem legit *Ordinem agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodus Concilii et initium secundae intercedit*, a Summo Pontifice statutum.

Inde disceptatio prosecuta est et ex ordine ad loquendum circa schema *de Ecclesia* in genere vocati sunt P. D. Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus, prael. null. Clu-



niensis, Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Vilelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis, Alexander Renard, ep. Versaliensis, Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Ioannes Velasco, ep. Sciiamensis, Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus, P. Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae, Constantinus Stella, arch. Aquilanus.

Secretarius generalis monuit ut omnes ad sua loca redirent.

Ultimus P. D. Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis, locutus est. Eius sermone expleto, secretarius generalis ex ambone communicavit exitum suffragationum, quae illa die circa emendationes ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* peractae fuerant. Omnes emendationes approbatae sunt.

Cum omnes emendationes ad prooemium et ad cap. I schematis *de sacra Liturgia* approbatae essent a Patribus et iam insertae essent suo loco a commissione liturgica, secretarius generalis, de mandato praesidis, quaesivit a Patribus num illis placeret die sequenti suffragium dare de integro prooemio et cap. I. Omnes Patres surgentes annuerunt.

Hora 12,10, reposito S. Evangelii codice, et precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, secretarius generalis proximam congregationem generalem die 7 decembris habendam intimavit.

### XXXVI

Congregatio generalis tricesima sexta habita est die 7 decembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2118 Patres, nempe 64 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 374 archiepiscopi, 1558 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa celebrata est ritu chaldaeo a P. D. Gabriele Ganni, ep. tit. Gargareno, coad. c.i.s. Berytensi Chaldaeorum in Libano. Alumni Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecuti sunt cantus.

Post Missam P. D. Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Facta intimatione: *Exeant omnes*, card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, proclamato nomine primi praesidis congregationis, annuntiavit hora meridiana coetus sollempniter claudi prece *Angelus...* a Summo Pontifice ope radiophonica recitata, eiusque sermone.

Deinde ex parte praefecti caeremoniarum pontificiarum communicavit sequenti die fore Cappellam Papalem, celebrante card. Paulo